contristati sunt valde et dix-
erunt ei Et quid faciemus domi-
ne. Ille vero dixit Ego inter-
ficiam patrem meum nocte ista
quia pharao sicut pater est joseph
et amat eum valde / et vos inter-
ficite joseph / et accipiam in mu-
lierem ipsam aseneth in uxorem / et
eritis mihi fratres simulque mecum
hereditabitis omnia Et dixerunt
ei gad et dan Pueri tui sumus
domine et faciemus omnia que
precepisti nobis Et nunc nos
audivimus hodie joseph dicentem
ad aseneth Perge cras in
agro hereditatis mee quia
tempus messis est Et precepit
sexcentos viros fortes precedere
cum ea Preparet ergo dominus noster
venire nobiscum viros bella-
tores plures aliis et precedamus
nocte / et ponamus insidias
in torrente et abscondamur
in densis calami / et tu accipe
tecum quinquaginta equites sa-
gittarios et antecedite nos de
longe Et veniet aseneth et irruet
in insidias nostras et nos interficiemus
viros qui sunt cum ea / et fugiet
aseneth ante te super currum
suum / incidetque in manus tuas et
facies ei secundum desiderium animi

tue Et postea interficiemus joseph
et filios eius ante oculos vestros
Et postquam audivit filius
pharaonis sermones istos
gavisus est valde Et trans-
misit eis duo milia virorum
armatorum Et abierunt in torren-
tem absconsique sunt in condensis
calami hinc et inde Et surrexit
filius pharaonis nocte illa
et custodes patris eius prohi-
buerunt eum intrare ad patrem
suum dicentes Pater tuus
capitis dolore et vigilavit
tota nocte et modo quiescit
paululum / dixitque nobis quod
nullus intret ad me nisi
filius meus primogenitus
Et cum audisset ista discessit
et assumpsit secum quinquagin-
ta equites sagittarios et
abiit ante insidias iuxta
quod locutus fuerat ad eum
gad et dan Et surrexit
mane aseneth et ait ad
joseph Ibo quemadmodum
dixisti in agrum hereditatis
mee sed timet anima mea
quia separor a te Dixitque ei
joseph Confide et ne timeas
quia dominus tecum est et conser-
vabit te ut pupillam oculi